

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Friedrich Heynatz


**Commentatio ... De Archaismo Romano Cognitionisqve Eivs Mvltiplici Vtilitate**

**Secvnda : : Die XXII. Septembris Seqq. In Avditorio Maiori Institvendvm ...**

Traiecti Ad Viadrvm, [1778]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691865362>

Band (Druck) Freier  Zugang 



Rp-395(9)  
R.p-395(9.)





COMMENTATIO SECUNDA  
DE  
**ARCHAISMO ROMANO**  
COGNITIONISQVE EIVS MVLTIPLICI  
VTILITATE


QVA  
AD EXAMEN LYCEI CIVITATIS NOSTRAE  
EVANGELICO-LUTHERANI

PUBLICVM

DIE XXII. SEPTEMBRIS SEQQ.  
IN AUDITORIO MAIORI INSTITVENDVM  
PATRONOS FAVTORES ET AMICOS  
EA QVA DECET  
VERECUNDIA OBSERVANTIA HUMANITATE

INVITAT

M. IOANNES FRIDERICVS HEYNATZ  
LYCEI RECTOR.



TRAJECTI AD VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.  
1778.

COMMITTATIO SECUNDY  
ARCHIATRICO-ROMANO  
CONCORDIA HUIC MUSICA  
ALLEGORIA  
EXAMINIS TECNICIS CIVITATIS MOSCOPOLITANAE  
TRANSGRESIO CULTURAE  
PIIS XXXI SILENTIBUS  
IN AUDITORIO MILITARI INSTITUTANDUM  
TATIENS PAVORES ET ANGOS  
EA QUA DECET  
ARRECANDE OBSERVANTIA HUMANITATE  
MUNUS  
H. IOANNES LUDVIGUS HEYNDEN  
LICENZIECTOR  
ARMIS  
H. IOANNES CHRISTIANUS WINTHER



### §. VI.

**T**ertiam vtilitatem ex archaismi notitia capiendam merito in eo ponimus, quod ad vocum significatus primos atque natuos (*veriuerbia* quidam e recentioribus vocant) manu quasi nos deducat, eosque inuentu reddat faciliores. Cui quidem rei quantum insit ponderis ac momenti ad iustum absolutioremque linguarum omnium cognitionem, nemo est qui ignoret. Reperta enim significatione vocabulorum primigenia faciliter deinde negotio reliquae, quas posteriorum aetatum usus inuenit, ex illa derivari possunt. Otium hic fecisse nobis oportebat lexicorum offices; horum enim erat non integrum tantum vocum homonymiam repraesentare, sed naturali etiam ordine singulas earumdem notiones ponere, ut una probe percepta ultra sese darent offerrentque ceterae. Parum autem adcurate hanc prouinciam ab iis esse administratam, et ne in magno quidam illo Thesauro Stephaniano *Gesneri* desideriis nostris satisfactum, communis est eruditorum querela. Monendi ergo sunt iuniores probae latinitatis cultores, ut primis verborum significatibus diligenter attendant, eosque indagare mature se adsuefiant. Vix unus erit ex omnibus Latii scriptoribus, quin subinde voces aliquas in significatione propria et antiquissima usurpauerit (\*); nonnulli

A 2

adeo,

\* Vno exemplo nunc liceat defungi, ut probemus, ex iis etiam auctioribus, e quibus tale quid vulgo exspectare non solent, significatum primordia erui posse. *Adfigere* plerunque notat moerore sive dolore adficere, sed pri-

adeo data opera talia sunt aucupati (\*). Maximam autem messem faciet, qui scriptores ipsos auream aetatem antegressos cum cura euoluerit. Ut huic adffirmationi fidem faciamus, nonnulla primorum significatum exempla ex Plauto fere atque Terentio, cuius vtriusque lectio non potest iuuibus, hoc quidem nomine, satis commendari, speciminis loco feligemus. Coniecturis si passim indulsimus, facile ab aequis rei arbitris veniam speramus, quia aliter haec sacra non constant. Temporum enim iniuria ut multa primitiva atque simplicia (\*\*), ita etiam plures notiones vocum principales indignissime perierunt, quae plerumque nisi coniectando e tenebris retrahi nequeunt.

**A D F E C T A R E**, tamquam frequentatuum ab *adfectio* derivandum, eius significaciones merito sibi vindicat. Cum igitur *adficere* proprie sit facere aliquid, quod meliorem aut peiorem reddit siue hominem siue rem, quod bene aut male tractare alias dicitur, *adfectandi* vocabulo eamdem notionem tribui par est. Ad Plautum frustra hic confugi, ostendimus commentatione prima p. II. (\*\*); sed in **G L O S S A R I I S** duobus ab **H E N R I C O S T E P H A N O** (\*\*\*\*) editis p. 500. *πανοῦμαι* explicatur *adfecto*; *πανοῦμαι* autem est *male tracto*. Notum est, quid sit *liber adfectus*, nempe inchoatus siue quem *tractare incepimus*. Hinc etiam *adfectare* pro *incipere* aut *ingredi* sumitur. Sic **L I V I V S** (\*\*\*\*\*)

dixit

mitus significabat ad terram deprimere. Egregie hunc significatum illustrat locus **C A E S A R I S** *Bell. Gall.* VI. 27. fin. de alcibus: *Infirmas arbores pondere ADFLIGVNT, atque una ipsae couidunt*. Adi *Gesnerum*, qui aliorum, *Plauti, Ciceronis, Suetonii*, loca posuit, praecipue autem Lambinum ad illa **H O R A T I I** (*Serm. II. 2. 79*): *adfligit humo diuinæ particulam aureæ*. Adde **L I V I V M** XXI, 58, 3. ibique Drackenborchium.

\*) Pertinent huc *Sallustius, Gellius et Apuleius*, proprietatis vnicet fere nimium studiosi.

\*\*) Exstat liber doctissimus **CHR. D A V M I I** *de caussis amissarum quarundam Latinae linguae radicum*, Cygneae C I C I O C X X X X I I . 8. editus, deinde a *Gracivio* insertus collectioni dissertationum rarissimarum historico - philologicarum (Traiect. Bat. C I C I O C C X V I . 4).

\*\*\*) Errorum ibi notatum post Laurenbergium erravit quoque *Creuier ad Lin.* XXVIII, 10, 12. meliora edocitus a Drackenborchio.

\*\*\*\*) Vide de libro praestantissimo pariter ac rarissimo **F A B R I C I I** *Bibl. Graec.* Tom. X. p. 53. sqq.

\*\*\*\*\*) XXVIII, 18, 10. Duce Romanum traiecerisse fese in hostilem terram potiundae Africae spem adfectantem.

dixit spem adfectare, et OVIDIUS (\*) in plurali spes adfectare, quod est spem concipere, pro quo HORATIVS (\*\*) dixit spem inchoare, alias atiam dicitur in spem ingredi. Quid porro apud PLAVTVM ET TERENTIVM (\*\*\*) viam adfectare aliud est, nisi viam ingredi? CICERO (\*\*\*\*) aut poëta Cicerone antiquior pro eo dixit iter adfectare. Omisso viam (\*\*\*\*\*\*) deinde adfectare adhibitum est pro cupere; ad ea enim, quae cupimus, adfeta-mus viam. Tandem ut phrasí rariori LVCRETIVS (\*\*\*\*\*\*) dixit adfici morbo, ita quoque adfectari morbis apud LIVIVM (†) legitur.

ADVERSVS siue ADVERSVM (antiquius aduersus, ad-versum) proprie aduerbum loci est, obuiam notans, vnde ad-versum ire apud Plautum et Terentium passim. Deinde fit praepositio, quae initio nonnisi de loco adhibita esse videtur; v. c. aduersus hostem proficisci pro hosti obuiam procedere (††). Porro notat e regione (†††), pro quo TERENTIVS ait exad-versum (††††). Deinde ad personas relata et amicum et hosti-lem animum significat. Posterior nemo negat, prius (†††††)

A 3

a qui-

\*) Metamorph. V. 377.

\*\*) Carm. I. 4. 15.

(\*\*\*) PLAVT. Aulul. III. 6. 39. Menaechm. IV. 3. 12. TERENT. Heaut. II. 3. 60. Phorm. V. 7. 71. Adde VIRGIL. Georg. III. 562. Cf. HEY-NIVM ad Aencl. III. 670.

\*\*\*\*) Locus egregius, quamquam satis notus, exstat in Orat. pro Roscio Cap. 48: Quam viam munitet, quod iter adfectet, videtis. Non falli videtur GRV-TERVIS, qui haec verba e poëta quodam desumpta esse existimat.

\*\*\*\*\*) Vid. Donatus ad posteriorem Terentii locum.

\*\*\*\*\*\*) I. 134. Quae res nobis vigilanibus obvia menteis Terrificet MORBO AD-FECTIS somnoque sepultis.

†) XXVIII. IO. I. Licinii litterae Romam adlatae, se exercitumque suum GRAVI MORBO AFFECTARI.

††) Supereg haec significatio apud FRONTINVM, Strategem. I. 4. 9. quem locum adscribam integrum. Alexander Macedo, probibente rege Indorum Poro traici exercitum per flumen Hydaspem, ADVERSVS AQVAM adsidue procurrere inssit suos, et ubi eo more exercitationis adsecutus est, qui [i. e. vt] a Poro aduersa ripa [casus auferendi] caueneretur, per superiorem partem subi- sum transmisit exercitum.

†††) Vide loca LIVII ap. Drackenb. ad VII. 14. 9.

††††) Adelph. IV. 2. 45. Phorm. I. 2. 47. Adde omnino SCIOPIII Gramm. pbilos. p. 24. ed. Herzog.

†††††) Vid. VECHNERI Hellenolex. p. 439. ed. Henning. et DRACKENB. ad LIV. V. 35. 4. Omnium manifestissime FESTVS: Aduersus aut contra- riuum significat, aut idem quod erga.

a quibusdam nuper alicubi in dubium vocatum esse, mirum, lepidum, ridiculum. Huc pertinet etiam, quod *aduersus* periphrasi datui inseruiat. Locus Terentii *id gratum fuisse ADVORSVM TE* (\*) notus est. Apud PLAVTVM (\*\*) legitur: *Iuriandum verum TE ADVORSVM dedi, vbi te aduorsum accipere posse pro tibi, quamvis praestet eodem modo hic explicare, quo sumendum est in phrasi itidem Plautina mentiri aduorsum aliquem* (\*\*\*) ; tamen, etiamsi datiuo circumscribendo non inseruiat, ne tantillum quidem animi hostilis innuitur.

AEGRVM ab aegroto vulgo sic distinguunt, ut *aeger* pariter de animo ac corpore dicatur, *aegrotus* de corpore tantum. Initio *aeger* notasse videtur aerumnosum quemuis atque omnimodo labore pressum. Patet hoc iam ex aduerbio *aegre*, quod numquam de malo corporis aut animi habitu accipitur, sed convenit cum vocabulis *vix*, *grauate*, *difficulter*. Quod si non sufficiat, *aeger* in eadem significatione, molestiae nempe et laboris, inuenitur apud PLAVTVM (\*\*\*\*), vbi Alcumena: *plus AEGRI*; inquit, *ex abitu viri, quam ex aduentu VOLVPTATIS cepi*. Eadem significatio superesse videtur apud TERENTIVM (\*\*\*\*\*), vbi ita loquitur Gnatho: *video sentum, squalidum, AEGRVM, pannis annisque obfitem*, ad quem locum DONATVS adscriptis: *aegrum ad maciem*; unde patescit, hominem intelligi, qui vitam non toleret, sed trahat.

ANTE cum saepe scribatur *anti* (v. c. *antifles*, *antideo*, *antidhac* (\*\*\*\*\*)) pro *antefles*, quod insolentius tamen (†), *anteo*, *antea*): verisimillimum est, Latinum *ante esse a Graeco avt;*  
non

\*) Andr. I. 1. 15. PRISCIANVS lib. XVIII. p. 1182. Putsch. confert Graecum *ἐναρτίον*, nescio quo iure quae inuria; nullus enim mihi quidem inquirenti licet, in scriptoribus Graecis occurrit locus, vbi *πρόσδεκτον ἐναρτίον τύπος* occurrat; Hellenistis ita loqui moris esse, me non fugit.

\*\*) Amphitr. III. 2. 55.

\*\*\*) Aulul. IIII. 7. 9. Egone vt *te aduorsum mentiar*, mea mater. Eadem constructione TERENT. And. I. 5. 30. Nunc peropus est de illa me *aduorsum* hunc loqui.

\*\*\*\*) Amphitr. II. 2. 11.

\*\*\*\*\*) Eunuch. II. 2. 5.

\*\*\*\*\*) Antideo PLAVT. habet Cistell. II. 1. 3, Casin. II. 3. 9. *antidit Trinumm.* II. 4. 145. *antidhac* Cistell. I. 3. 50. et alibi.

†) Vid. RITTERSHVSIVM ad Saluan. p. 146.

non ab *āpti*, neque ab *āvta*, multo minus, ut SCALIGER voluit, compositum ex *am*, praepositione inseparabili, et *te*, syllaba paragogica. Significatio igitur prima fuisse videtur *prae*, fortasse etiam *pro*, ita *vt*, si dicatur aliquis a nobis amari *ante* *alios*, *& ante* proprie posita videri possit. Quod si quis obiciat, notionem loci videri antiquissimam, specie haec non carent, quia plereque significaciones temporis atque argumentationis ex significatu loci deriuantur (\*); sed conuenitne, quaeſo, infantiae linguae, ut adſint duae eamdem rem ſiftentes praepositiones? Quod autem Latinis recentioribus aureae aetatis ſignificabat praepositio *ante*, id ante hoc tempus ſolam *pro* praefitiſſe veriſimile eſt. Cum vero *ante* notionem loci paullatim occupaſſet, *& pro* alio migrauit, eumdemque in locum, vnde *ante* digreſſa erat, ſuccedifit, *dvti* Graecorum eodem ex tempore exprimens.

**A N V L V S**, pro quo plerumque ſed minus recte *annulus* ſcribitur, proprie non notat *δακτύλιον*, ſed *circulum* quemcumque. Quemamodum enim a *circo circulus*, ita ab *ano anulus* di-ctus; *anus* autem proprie idem, quod *circus* ſive *circulus*. Vide, ne longus ſim, **T A V B M A N N V M** ad **P L A V T**. *Menaechm.* I. I. 9. Haec ſi ſatis expediuiſſent Orthographi Latini, ſcriptura per ſimplex *n* vtpote vnicē vera fortaffe pluribus adriuiſſet.

**A V T V M A R E** proprie eſt dicere. Tralatitium hoc eſt (fere enim omnes, qui vim eius explicare conati ſunt, in adiunganda hac ſignificatione conſentiant); ſed quamuis inter eruditos conſtet, tamen minus in vulgus innotuit. Quotidie enim legimus *autumare* pro *putare*, quaſi ſynonyma ſint; veteres autem in ſignificatione *putandi* numquam eo viſi ſunt, niſi adiunctum haberet ſenſum dicendi, quod exempla a Lexicographis prolata ſatis probant. Ianuam huic errori quoddammodo patefecit **T A V B M A N N V S**, qui ceteroquin ſemper illi vocabulo dicendi notionem tribuit, cum ad **P L A V T V M** p. 35. Latinum *autumat* conſert phraſi Wittenbergenſium aut finitimorum, qui pro Germanico *er sagt* dicere ſoleant *er meint*, quae loquendi conſuetudo non per ſolum iſtum Saxoniae tractum, ſed in Marchia quoque

\**Ibi* eſt loci, et ſit temporis (v. g. *ibi* tum exanimatus Pamphilus); *inde*, *vnde*, *binc* ad argumentationem quoque trahuntur, cet.

quoque Brandenburgica et Pomerania cum adiacentibus quibusdam regionibus obtinet, ad illustrandam autem illam phrasin Latinam nihil plane adiumenti adfert.

**C A S T V S** proprio est *purus*, quod demonstratione ulteriori non indiget. Nescio, cur inde non deriuare et explicare soleant verbum *castigo*; apud antiquiores enim semper est *verbis acriter reprehendere et vi quasi ad castiores mores adigere, emendare*. Ita **T E R E N T I V S** (\*): *Quid illum credis facturum, nisi eum seruas, castigas, mones.* Vnde eodem tempore isti refelli possunt, qui *castigare* plus esse putant, quam *monere* (\*\*). Alias enim Terentius non postposuisset *mones*.

*Cerno* proprio est *separare*, quod cribro fit, deinde *distinguere*, speciatim *distincte* videre. In hac significatione apud **T E R E N T I V M** (\*\*\*) supereft: *Eftne Hegio? Si SATIS CERNO, is hercle.* E supino *cretum*, quod sensu videndi non peruenit ad nostra tempora, per metathesin effictum est adiectuum *certus*, quod igitur sensum *evidentiae* inuoluit. Hinc *certum* est idem, quod *exploratum* est, *satis visum* est. Compositum *decerno* proprio est *iudico* siue *puto*; quatenus de *absolutionem* et *finem rei notat*, *videre aut deliberare desino*, *mecum ipse consentio*. Ita intelligendus est locus **T E R E N T I I** (\*\*\*\*): *Duo talenta pro re nostra ego esse DECREVI satis, i. e. credo.* Ipsum frequentatiuum *certo* (per eamdem metathesin pro *creto*) primo forte habuit *videndi* i. e. *experiendi* notionem, quamuis hoc nihil opus sit, quia iam simplex *cernere* pugnam significat.

*Configere* proprio non *certare*, sed *collidere inter se*. Supereft haec notio ex parte saltim in frequentatiuo *conflictare*, quod deinde enuntiatum est *conflictari*. Si enim apud **T E R E N T I V M** (\*\*\*\*\*) legitur: *Qui cum ingenii CONFLICTATVR eiusmodi*, Donatus recte explicat *atteritur*. Addit: **CONFILCTATIO**

\*) Heaut. III. 3. 31.

\*\*) Huc pertinet **E V G R A P H I V S**, homo seculi decimi exeuntis, qui ita in locum Terentium, quasi auctorem suum emendaturus, commentatur: nisi eum, quantum tibi facultatis numina concedunt, seruas, *mones atque castigas*. **G E S N E R V S** quoque in Thesauro *monere* minus esse dicit, quam *castigare*, quod certo tantum respectu verum est, non simpliciter.

\*\*\*) Adelph. III. 3. 85.

\*\*\*\*) Heaut. V. 1. 67.

\*\*\*\*\*) Andr. I. 1. 66. vbi conferenda Daceria.

**C T A T I O** est tattus corporum inuicem et collisio. Apud **Q V I N C T I -**  
**L I A N V M** (\*) primitium quodammodo ita usurpatum in-  
venitur. Quod enim primo dixerat *leges CONFLIGVNT*,  
deinde sic effert *leges COLLIDVNTVR*, vnde merito ad vocis  
etymon aduluisse videtur.

**C O N V I V A**, **C O N V I V I V M** proprie notant *vitae confor-*  
*tium*. Hoc enim nisi esset, **C I C E R O** (\*\*) non laudaret Romanos,  
ob epularum liberalem atque modestam denominationem, quia  
illud, quod Graeci *compotare* dicant, honestiori *vna viuendi* vo-  
cabulo adpellauerint. Nisi omnia me fallunt, alicubi Plautus  
hanc notionem seruauit; certe in schedis nostris Plautinis vox  
ista notata est, sed numeri adscripti non conueniunt, quare certi  
quid pronuntiare non audeo.

**D V D V M** antiquioribus simpliciter erat *antea*, plerumque  
*paullo antea*. Viderunt hoc viri docti, sed quia incerto etymo  
*diu dum* insistunt, mire in enodanda vocis significatione se tor-  
quent (\*\*), vt de tempore vixdum elapso explicare possint.  
Saepissime haec vox occurrit apud Terentium, sed semper aut  
certe plerumque tempus vel proxime antegressum significat.  
Concedo *iamdudum* frequentius ad spatium longius interpositum  
respicere; sed non desunt exempla, quibus demonstrari possit,  
id ipsum quoque simplicis sui significationem retinere. Age vi-  
deamus quaedam loca. Apud **T E R E N T I V M** (\*\*\*\*) Demipho  
senex, postquam cum aduocatis suis communicauerat de dicta  
Phormioni scribenda, parumque e sententiis illorum profecerat,  
ita queritur: *fecistiis probe, incertior sum multo, quam D V D V M*.  
Quid *dudum* hic est, nisi *antea* simpliciter? Quam dudum enim  
eos aduocauerat, aut quam dudum adeo iniuriam a Phormione  
sibi absenti illatam rescuerat? Sed adsunt loca, vbi adcurate  
tempus definiri potest. Apud eumdem **T E R E N T I V M** in fine  
scenae tertiae actus quarti Phormionis Chremes cum fratre De-  
miphone

B

(\*) *Inst. orat.* VII. 7. (al. 8.) 2 et 10.

(\*\*) *De senectut.* C. 45.

(\*\*\*) En tibi verba **G E S N E R I** in *Thesauro*: **D V D V M** quasi *diu dum* infinitum  
tempus notat, quod longum videatur ob affectum illi, qui loquitur,  
ceterum intra breuissimum temporis spatium, dimidiam interdum horam  
cet. continetur. Hinc sit, vt interdum etiam contra etymologiam ad  
designandum breve temporis spatium adhibeatur.

(\*\*\*\*) *Phorm.* II, 4, 17. 18.

miphone collocutus dixerat: *Opportune adee nunc mecum argentum attuli — Id sumam; vxori tibi opus esse dixero.* Deinde auctu sequenti, quem inter et quartum paullulum admodum temporis interiectum fuisse potest, v. 3. scenae tertiae vel (vt Daceria rectius numerat) secundae Demipho dicis caussa Nausistratae gratias aucturus: *Pariter, inquit, nunc opera me adiuuas* (ita enim cum Bentleio e MStis et edd. vett. legendum, non *adiuuas*), ac *re DV DV M opitulata es.* Quam dudum autem? Poterat Demipho eodem fere iure modo dicere, quo dudum; quamuis non negem modo tempus paene elapsum, dudum autem plane praeteritum fere significare. Locus similis est PLAVT 1, in fine auctus tertii Cistellariae. Ibi Alcesimarchus in eo est, vt se interimat; sed conspecta Silenio consilium mutat, eamque Melaenidi ereptam in aedes suas comportat. Inter haec Melaenis cistellam cum crepundiis amittit, quam deinde auctu quarto scena secunda requiriens ita loquitur: *nam DV DV M, vt accurrimus ad Alcesimarchum, ne suam vitam interimeret, tum mihi puto prae timore hic excidisse cistellam.* Apud VIRGILIVM Aen. X. v. 58. sqq. Liger Aeneam amaris dictis inuadit; paullo post v. 599. Aeneas Ligerum frustra obsecrantem interfectorus ait: *haud talia DV DV M dicta das.* Haec sufficere puto; plura exempla cuiuis inter legendum sese offerent. Superest, vt exemplum adferam, etiam iamdudum de tempore non ita diu praeterlapsi adhiberi. Adspice, quaeso, in Amphitruone Plautina auctus tertii scenam tertiam. Ibi Sosia seruus miratur, tam cito in gratiam rediisse herum, sed cuius vultum induit Iupiter, cum hera. Huic Amphitruo personatus respondet: *Derides, qui scis, haec iamdudum me dixisse per iocum.* Quid hic iamdudum, nisi antea? Vnum posset obiici, nempe *iamdudum coniungendum esse cum scis.* Quae sententia si cui sedet, sensu suo abundet libenter patimur, et *iamdudum* non plerumque sed semper ad tempus diutius antegressum respicere largimur, dummodo inuicem simplex dudum e notione, quam illi adsignauimus, non audeat deturbare.

BMO proprie fuit capio, sumo. EMERE, quod nunc est MER-  
CARI, antiqui accipiebant pro SVMERE, sunt verba FESTI (\*).  
Idem

\*) P. m. LIII. Vtor editione, quae ap. Petrum Santandream prodidit MDXCHII. Locum hunc iam protulit Stephanus in Thesauro, sed post sumere addidit *sue accipere*, quod augmentum Gesnerus retinuit, et de suo auxit.

Idem alibi (\*): **E M E R E** antiqui dicebant pro **A C C I P E R E**. Luculentissimo antiquissimae significationis documento sunt composita nonnulla, quibus nulla mercandi notio inhaeret. Primum est **A B E M O**, ad scripturam posterioris aeui resictum (\*\*) abimo, quod est aufero (\*\*\*)�. **A D I M O** est eripio, verbum plerumque efficacius, quam demo (\*\*\*\*); **A D** enim hic videtur intensuum ut in adamo et aliis (\*\*\*\*\*). **D I R I M O** est disiungo, separo, pro **d i s i m o** (\*\*\*\*\*). **E x i m o** est tollo, excipio (†), recipio. **I n t e r i m o** fuit sine dubio a principio totum consummo atque abripio; inter enim significationem simplicis maximopere auget (††), v. c. in verbo interneco, interbibo et aliis. In hac significatione non amplius supereft. Citatur quidem in Thesauro Fabriano e **P L A V T I**. *Cistell.* IV, 2, 39. interimere vitam alicui. Sed hoc modo ibi non legitur, verum versu 44. 45. ut adcurrimus ad **A l c e s i m a r c h u m**, ne suam vitam **I N T E R I M E R E T**. Eadem phrasis legitur, ut **S T E P H A N V S** iam notauit, *Casin.* III, 5, 20. Na-

B 2

turam

\*) Pag. III.

\*\*) In Glossariis Stephanianis supra citatis nunc per *e*, nunc per *i* legitur; *re-demo*, *redimo*, *peremo*, *perimo* ceteri.\*\*\*) **F E S T V S** loco proxime citato: **A B E M I T O** significat **D E M I T O** vel **A V F E R T O**. Addunt Stephanus et Laurenbergius auctoritatem **P L A V T I** tamquam a **F E S T O** aduocatam, *abemito vestem*; sed locus hic apud Festum non exstat, vnde merito eum e noua Thesauri editione exsulare iussit Gesnerus, quamvis lectore nihil admonito. In Glossario Stephanii a Scaligero ad Festi locum citato *abemit* vertitur ἔλαζεν.\*\*\*\*) Vid. **D R A C K E N B O R C H**, ad *Liu.* V, 13, 8. XXII, 44, 6.\*\*\*\*\*) Frustra enim **B E R N H O L D V S** in Lexico *adimo* pro *abimo* positum esse adfirmat, cum numquam sit *ad* pro *ab*. cf. **G O C L E N**. *probl. gramm.* II. 44.\*\*\*\*\*) Sic **D A U M I V S** l. c. p. 519. ed. Graeu. Agnoscit etiam **V O S S I V S** in *Etymologicis* h. v. quamvis in tractatu praemesso de litterarum permutatione nihil de illa monuerit. Exemplum geminum est *diribeo* pro *disibeo*. Longe enim praestat haec **D a u m i i** deriuatio Vossiana ac Becmanniana a *dis* et *rabeo*, ut taceam illam alteram, a *diaḡḡēpt̄ēw*. Vide tamen infra *Surrimo*.†) Loca **P L A V T I** et **C A T O N I S**, in quibus *lapides* e *lautumiis* et *cupressi* e *terra eximi* dicuntur vid. ap. Stephanum. *Eximere amicitiam ex rerum natura* legitur ap. **C I C**. de *amic.* Cap. 23. *Eximere aliquem e vinculis* ap. eumdem in *Oratore*, et sine praepositione apud **P L A V T V M**, sicut apud **T E R E N T I V M** *si INDE* (e pistrino) *re exemerim*. Andr. I, 2, 29.††) Ita **G E S N E R V S** post alios v. **INTER**; sed voc. *interficio* huic particulae vim auferendi tribuit.

*turam res ad nihilum non interimere, adfirmat LVCRETIVS (\*), et alibi (\*\*) ventum et aërem et calorem per membra didi opertore, ne seorsum posita sensum interimant. Vnde patet, Lucretio interimere idem esse, quod destruere. Sequitur PERIMO, eiusdem fere significationis cum praecedenti, quatenus nempe per absolutionem rei denotat. Explicandum igitur erit funditus tollo. Illustrat hanc significationem primigeniam locus LVCRETII (\*\*), vbi negat aetatem materiem omnem penitus perimere. Quae FESTVS (\*\*\*\*) de hoc verbo habet, mutila sunt. Hoc tamen adparet, Cincium explicuisse prohibere, quod consistere potest, modo ne significationem originalem inde exculpere velis. Prohibens enim rem, verbi causa augur, vere eam perimit. Eadem significatio obtinere mihi videtur in verbis Catonis, quae deinde Festus citat: *Cum magistratus nihil audent imperare, nequid consul auspicii PEREMAT;* quamvis ipse vitiare exponat. Auspicium perimitur, si irritum fit aut negligitur. Significatio occidendi est secundaria, quamvis longe vitiator. *Surrimo,* quod plane obsoleuit, apud FESTVM (\*\*\*\*\*) superest, qui surremit, quod interpretatur sumvit, hac auctoritate (Ennii \*\*\*\*\*), vt vulgo sed temere credunt) firmat:*

*inque manum surremit haflam.*

Addit surrempfit pro sustulerit. *Surrimo esse dicunt pro subimo* (†); sed in mentem venire cui possit, esse *e sub et remo* (††), *remo*

\*) I. 217. Adde II. 1001. vbi mors non ita interimere res dicitur, vt corpora materialia conficiat.

\*\*) III. 288.

\*\*\*) I. 226. Apud eumdem V. 217. imbre perimunt fruges. I. 52. omnia a natura in primordia sua resoluuntur *peremta*, coll. IV. 44, et V. 320.

\*\*\*\*) Pag. CLIX. edit. supra allegatae (Daceriana enim ad manus non est). In fragmto Festi, quod huic editioni, sed decennio ante excusum, additur, *perimit* explicatur *admitit, tollit*, p. 58. Quod utrobique de *perentalibus fulguribus* legitur, notionem *tollendi* huic verbo tributam non minus stabilit. Adde doctissimum ICtum SCIP. GENTILEM in *Originibus*, quae subiunctae sunt eiusdem *Parergis ad Pandectas*, p. 286.

\*\*\*\*\*) Pag. CCLXXXIV.

\*\*\*\*\* Ennio hunc versum tribuit Laurenbergius; cautior est Vossius in Etymologico.

†) Ita fere Vossius.

††) Remere nusquam occurrit; apud Hedericum enim in Lexico pro eo legendum est *remare*, quod alio pertinet.

remo autem siue ex re et emo siue simplex τῷ emo synonimū. Huius compositum haberi etiam queat dirimo. Restant composita maiorem immutationem passa, demo, promo, sumo. In his omnibus haud obscure remansit notio tollendi. DEMO igitur est pro deemo per simplicem synizesin, PROMO pro proēmo, SUMO denique aut pro surrimo, aut pro subimo. Sola perfecti formatio, quae adsumit, obstare videtur, quo minus illa verba ad emo referre possimus. Sed antiquius etiam in ceteris supra recensitis terminatio mi cum altera mi alternas vices occupasse videtur. Certe apud PLAVTVM (\*) supereft ademſit, quod nulli grammaticorum adhuc obseruatum esse miror. Optulatur huic turrempſit, quod modo e Feste attulimus. Quamuis enim ibi explicetur per coniunctiu[m] sustulerit, scimus tamen coniunctiu[m] et indicatiuum apud antiquos saepe fuisse aequisonos. Fortasse ad composita τῷ emo etiam premo connumerare quis possit. Certe N O N I V S, citante M A R T I N I O, inter significationes huius verbi refert quoque illam remouendi vel excindendi, item occidendi, quod examissim conuenit cum prima significatione τῷ peremo; sed aliis hoc siue vrgendum siue refutandum relinquimus.

FAMILIARIS proprie est ad familiam siue seruitium domus pertinens, domesticus. Adnotatum hoc est a Lexicographis: sed prouocare debebant ad locum p[er]adpositum ideoque clasicum PLAVTI, vbi in prima statim scena Amphitruonis (\*\*) Sosia ad Mercurium: *Abi sane aduenisse FAMILIARES dicitu.* MERC. Nescio quam tu familiaris sis; nisi astutum hinc abis FAMILIARIS accipiere faxo haud FAMILIARITER. SOS. Quin me esse huius FAMILIAE FAMILIAREM praedico.

IMPETRO a principio denotabat peto. Ita certe D O N A T U S apud TERENTIVM explicat Andr. II, 1, 15. Quia tamen per ὑπερολογίαν tantum hoc fieri posse putat, producamus locum PLAVTI (\*\*\*) , vbi ea figura nihil opus est:

*Nam iniufla ab iuſtis IMPETRARE non decet.*

*Iuſta autem ab iniufis PETERE, insipientiaſt.*

Deinde dictum pro exorare, per metonymiam, quam dicunt, cauſae pro effectu.

B 3

M A-

\*) Epid. III, 2, 27. Si illam, quae adducta est mecum, mihi ademſit orcus.

\*\*) Vers. 97. sqq. Adde Epid. I, 1, 2. ibique Taubmannum.

\*\*\*) Amphitr. Prol. 35. 36.

MALITIA. Significatio, quam *Gesnerus* ultimo loco posuit, est omnium prima; indicat nempe malam et reprehendendam indolem cuiuscumque rei, non solius mentis humanae. Hinc deriuandum, si malitia pro *inuria* sumitur, ut in adagio notissimo (\*): *ius summum saepe summa est MALITIA*, h.e. dum quis optimus iudex esse studet, sit saepe pessimus. Restituit hanc vocem *TERENTIO* alibi (\*\*) acutissimus Bentleius.

N O S C O proprie notat initium discendi, vt *GESNERVS* reste monuit, significationem praesentis temporis, quae inest praeterito *noui*, bene inde illustrans. Addenda igitur erat in Lexicis Latino-Germanicis primo significatui verbum Germanicum, *ich lerne kennen*. Apud *TERENTIVM Adelph.* II, 4, 7. plerumque legitur: *Age inepite, quasi NVNC NON norimus nos inter nos.* Mihi semper in mendo cubare visus est locus; plane enim otiosum est nunc, quamdiu non retinetur. Sed tolle *non*, et sensus erit facillimus. Adiungamus primituo deriuatum *notitia*, quod amicitiae minorem gradum indicat, eodem modo, quo *notus* et *amicus* inter se differunt. Initium *Heantontimorumeni* Terentiana in plerisque Lexicis iam adductum est: *Quamquam haec inter nos nupera NOTITIA admodum est.* Compositum cognosco et ipsum hanc significationem initii notitiae retinet. Exempla passim sunt obvia. Praeteritum quoque *cognoui* interdum significatione praesenti gaudet, quare in loco Adelphorum legi potest *quasi nunc cognorimus nos inter nos.*

OPPIDO antiquitus fortasse fuit *valide*, *potenter*, deinde *magnopere*, *valde*, quod eo minus mirum est, quia *valide* quoque, etiam si non contractum sit, vim simpliciter augendi habeat. Perridicula est Festi (\*\*\*) deriuatio. Periculum faciamus, me lioremne

\*) *TERENT. Heaut. IV, 4, 48.*

\*\*) Si herum insimulabis *malitia*, male audies. *Pborm. II, 3, 12.* vbi vulgati *auaritiae*.

\*\*\*) Pag. CXL. *Ortum est hoc vocabulum ex sermone inter se confabulantium, quantum quisque frugum faceret, virque multitudo significaretur, saepe respondebat, QVANTVM VEL OPPIDO SATIS ESSET.* Hinc in consuetudinem venit, ut diceretur *OPPIDO pro VALDE MVLTVM*. Itaque si qui in aliis rebus eo vtuntur, vtputa si qui dicant, *OPPIDO DIDICI, SPECTAVI, AMBVLAVI*, errant, quia nulli eorum *subiici* potest VEL QVOD SATIS EST. Risit Festum iam *Vossius* in Etymolog. voc. *oppidum*. Etymologia a Festo suppeditata legitur iam ap. *DONATVM ad TERENT.* Hec. II. I. 41.

lioremne reperire queamus. Substantium *oppidum* grammatici arcessunt ab *ope*, i. e. viribus ac validitate. Quod *o* in *ope* corripiatur, non obstat credunt, quia saepius syllabae, contra quam in primitiis factum erat, aut producantur aut breues fiant (\*). Quidni igitur aduerbium *oppido* ex eodem fonte deriuemus (\*\*)? Interit nempe adiectum *opidus* s. *oppidus*, h. e. *validus*; hinc autem factum est *oppide* siue *oppido* (\*\*\*)? Quia vero alia adhuc adfertur significatio, et quidem perantiqua huius vocabuli, paucis dispiciamus, quatenus illa vera sit. Dicunt enim, **C H A R I S I V M** (\*\*\*\*) auctorem secuti, apud Plautum idem esse quod *statim*. **L o c a**, quae a **G E S N E R O** producuntur, haec sunt. *Perdidi operam fabrorum illico, OPPIDOQUE venit ignauia* (\*\*\*\*). *Reddi di aurum omne OPPIDO* (\*\*\*\*\*). *Oppido interii* (†). Ut a postremo loco incipiamus, *oppido perii* nihil aliud significat, nisi *prorsus perii*. Notiones autem *plane* et *valde* oppido confines sunt inter se. **P L A V T V S** et alibi (††) ita loquitur. Quod ad primum attinet, aliter nunc legitur, atque post Stephanum representatus est a Gesnero. In Lambiniana nempe et Gronoviana editionibus legitur: *Perdidi operam fabrorum illico oppido. Venit cet.* Taubmanni autem editio habet: *fabrorum. Illico oppido venit ignauia*. Vides ergo, utramque *illico oppido* coniungere, quod procul dubio verum, explicandumque est quam velocissime. Tandem et in ipso Bacchidum loco *oppido* est *prorsus* (†††). Seruus Chrysalus quaerit: *Reddidisti?* Respondet adolescens Mnesilochus *reddidi*. Iterum seruus: *Omnene?* Et  
adole-

\* ) Hac de re commentatione tertia, si Deus volet, videbimus, §. X.

\*\*) Non refragabimur, si quis referre maluerit ad thema *opeo opere*, plane autem obsoletum, unde sit eodem modo, quo *validus* a *valeo* cet.

\*\*\*) De terminationibus aduerbiorum in *e* et *o* saepe confusis aut promiseue usurpati vide v. O S S. de Analog. lib. IIII. Cap. XVIII.

\*\*\*\*) Pag. 187. *Putsch.* Oppido pro vero aut *statim*. Et addit quidem locum e Bacchidibus mox citandum,

\*\*\*\*\*) *Mofell.* I, I, 56. \*\*\*\*\*) *Bacchid.* IV, 4, 30.

†) *Amphitr.* I, I, 143.

††) *Mofell.* I, 3, 9. *PERIERE* haec [i. e. *hae*] *OPPIDO* aedes. *Mercat.* III, 3, 10. *DORIPP.* Disperii. *LYSIM.* Ego quidem hercle *OPPIDO PERII* miser. Adde *Circul.* I, 2, 44. *PHAEDRON.* Perditus sum miser. *LENA.* At pol ego *OPPIDO SERVATA*.

†††) Ut in *PLAVTO* *oppido omne* dici videtur, ita apud *LVCRETIVM* VI. 527. *prorsum omnia.*

adolescens oppido ait. Videmus igitur significationem *statim* e folius Charissii cerebro esse natam (\*), et pro ea aliam esse substituendam, qua *oppido* idem sit, quod *omnino*, *plane*, *prorsus*. Haec autem, an superior illa sit antiquior, equidem vix defineatur ausim. Prius magis mihi fit verisimile, quia *omnino* quoque, *maxime*, *vnice* e. i. g. a. pro *valde* poni amant.


**P E T O.** De hoc verbo ita Gesnerus: *Videtur prima significacione ad corpora pertinuisse, et conatum tangendi notasse, quocumque is confilio susceptus esset.* Quidni clarius: *peto antiquissime fuit cado?* Hanc enim notionem ipse vir eruditissimus non negavit. Addit nempe post pauca: „Πέτω apud Graecos ferri, cadere, „volare est. *Impetus, praepes, expeto*, hanc notionem seruant. „Vid. Perizon. ad Sancti Mineru. 4, 4, 46.“ Addi poterant vocibus cadendi significatum retinentibus *competo*, ablatiuus solitarius *impete*, *oppeto* et *sppeto*, fortasse etiam *perpes* et *perpetuus*, de quibus omnibus nihil fere noui addere habemus.

Subsistimus hic, praefandique finem facimus, ut quae res scriptioni nostrae ansam praebuerit, paucis edifferamus. Postquam examen Lycei nostri solitum circa festos dies paschales haberi non potuerat, dilatum est in hocce, quo nunc viuimus, anni tempus. Rogamus igitur patronum scholae amplissimum, magistratum scilicet ciuitatis huius commodis optime consulentem, ephorum plurimum reverendum, fautores denique ac amicos rei scholasticae quoslibet, ut ad specimina profectuum atque diligentiae a disciplinae nostrae alumnis edenda frequentes confluant, sollemniaque nostra praeSENTIA sua cohonestent. Ordo examinis d. XXII. huius mensis a superiori coetu initium capiet, insequenti autem in inferioribus desinet. Ante meridiem prioris diei orationem quoque habebit iuuenis ornatus, CHRISTIANVS ERNESTVS MARTINI, FRANCQR. dicetque Germanice de laudibus b. GODOFREDI REIMANNI, iurium candidati, benefactoris ob legata a se virtutis studiorumque praemia Lyceo nostro numquam obliuiscendi. P. P. Francofurti ad Viadrum d. XXI. Septembbris A. O. R.

CIDICCLXXVIII.

\*) Dici tamen potest ad excusandum Charisium, addidisse eum alteram significationem vero, vt optionem igitur lectoribus relinqueret. *Vero* autem est adformatum, vt *plane*, *maxime*, *omnino*.





adolescens oppido ait. Videmus igitur significatio  
soli Charisi cerebro esse natam (\*), et pro ea  
stituendam, qua oppido idem sit, quod omnino  
Haec autem, an superior illa sit antiquior, e  
re ausim. Prius magis mihi fit verisimile, q  
maxime, unice e. i. g. a. pro valde poni am

**P E T O.** De hoc verbo ita Gesneru  
ficatione ad corpora pertinuisse, et conaturn  
que is consilio suscepimus esset. Quidni cla  
cado? Hanc enim notionem ipse vi  
Addit nempe post pauca: „Πέτω  
„volare est. *Impetus*, *praepones*,  
„Vid. Perizon. ad Sanctii Miner  
cibus cadendi significatum retin  
rius impete, oppeto et suppeto.  
de quibus omnibus nihil fer

Subsistimus hic, r  
res scriptioni nostrae a  
Postquam examen Lyc  
haberi non potuerat  
anni tempus. Rog  
magistratum scilicet  
tem, ephorum  
amicos rei scho  
que diligentia  
confluant,  
Ordo exan  
capiet, i  
mus,  
dicer  
iur  
q  
VS ERNESTVS MARTINI, FRANCOR  
de laudibus b. GODOFREDI REIMANNI,  
benefactoris ob legata a se virtutis studiorum  
eo nostro numquam obliuiscendi. P. P. Franco  
Viadrum d. XXI. Septembbris A. O. R.

CICICCLXXVIII.

en potest ad excusandum Charisium, addidisse eum alteram signi  
ficacionem vero, vt optionem igitur lectoribus relinquaret. Vero autem  
adformatiuum, vt plane, maxime, omnino.

